

Dans ce travail de collation entre le texte mis en ligne par *Itinera electronica* et notre exemplaire des BELLES LETTRES (dite « Budé », par L. Herrmann, en 1961), nous avons privilégié cette dernière édition car l'autre est issue d'une numérisation qui peut s'avérer, à l'expérience, hasardeuse. Nonobstant, à notre grande déconvenue, nous avons dû parfois revenir à la version dématérialisée quand elle était, à l'évidence, la seule correcte... Il y a des coquilles gênantes dans le Budé. Aussi avons-nous osé, rarement, un retour sur nous-même, en toute modestie (sic !).

Au reste, nous ne prétendons pas faire une édition de référence... mais rendre service : c'est l'ambition « médiocre » du site Lutèce.

## PHAEDRA

### A) PERSONAE :

HIPPOLYTUS  
 PHAEDRA  
 NUTRIX  
 THESEUS  
 NUNTIUS

### B) CHORUS ATHENIENSIIUM

### C) FAMULI THESEI

FAMULAE PHAEDRAE  
 VENATORES (COMITES HIPPOLYTI)

### D) Scaena Athenis vel prope Athenas

### HIPPOLYTUS, <VENATORES>

#### HIPPOLYTUS

Ite, umbrosas cingite silvas summaque montis juga, Cecropii ! Celeri planta lustrate vagi quae saxosae loca Parnetho subjecta jacent, quae Thriasiis	5	
vallibus amnis rapida currens verberat unda; scandite colles semper canos nive Riphaea ; Hac, Aegalei qua nemus alta textitur alno, qua prata jacent	10	
quae rorifera mulcens aura Zephyrus vernas evocat herbas, ubi per graciles levis Ilisos, ut Maeander super aequales, labitur agros piger et steriles amne maligno radit harenas ;	15	vers absent chez itinera electronica
Vos qua Marathon tramite laevo saltus aperit, qua comitatae gregibus parvis nocturna petunt pabula fetae, vos qua tepidis subditus austris frigora mollit durus Acharneus.	20	
Alius rupem dulcis Hymetti, parvas alius calcet Aphidnas : pars alia diu vacat immunis qua curvati litora ponti	25	

Sunion urget. Si quem tangit gloria silvae, vocat hunc Phlye: hic versatur metus agricolis vulnere multo jam notus aper.	30
At vos laxas canibus tacitis mittite habenas, teneant acres lora Molossos et pugnaces tendant Cretes fortia trito vincula collo.	35
At Spartanos (genus est audax avidumque ferae) nodo cautus propiore liga: veniet tempus, cum latratu cava saxa sonent ; nunc demissi nare sagaci	35 b
captent auras lustraue presso quaerant rostro, dum lux dubia est, dum signa pedum roscida tellus impressa tenet. Alius raras cervice gravi portare plagas, alius teretes properet laqueos.	40
picta rubenti linea pinna vano cludat terrore feras. Tibi vibretur missile telum, tu grave dextra laevaue simul robur lato dirige ferro,	45
tu praecipites clamore feras subsessor ages; tu jam victor curvo solves viscera cultro.	(nous gardons la numérotation du Budé) 50
Ades en comiti, diva virago, cujus regno pars terrarum secreta vacat, cujus certis petitur telis fera quae gelidum potat Araxen et quae stanti ludit in Histro. Tua Gaetulos dextra leones, tua Cretaeas sequitur cervas; nunc veloces figis dammas levioere manu.	55
Tibi dant variae pectora tigres tibi villosi terga bisontes latisque feri cornibus uri.	60
Quicquid solis pascitur arvis, sive illud Arabs divite silva	65
sive illud inops novit Garamans	68
vacuisque vagus Sarmata campis,	71
sive ferocis juga Pyrenes	69
sive Hyrcani celant saltus,	70
arcus metuit, Diana, tuos.	72
Tua si gratus numina cultor tulit in saltus, retia vinctas tenuere feras ; nulli laqueum rupere pedes: fertur plaustro praeda gementi ; tum rostra canes sanguine multo rubicunda gerunt repetitque casas rustica longo turba triumpho.	75
En diva faves : signum arguti	80

misere canes. - Vocor in silvas.  
Hac, hac pergam qua via longum  
compensat iter.

#### PHAEDRA, NUTRIX

##### PHAEDRA

O magna vasti Creta dominatrix freti 85  
cujus per omne litus innumerae rates  
tenuere pontum, quicquid Assyria tenus  
tellure Nerea pervium rostris secas,  
cur me in penates obsidem invisos datam  
hostique nuptam degere aetatem in malis 90  
lacrimisque cogis? Profugus en conjunx abest  
praestatque nuptae quam solet Theseus fidem.  
Fortis per altas invii retro lacus  
vadit tenebras miles audacis proci,  
solio ut revulsam regis inferni abstrahat; 95  
pergit furoris socius, haud illum timor  
pudorqu tenuit: - stupra et illicitos toros  
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.  
Sed major alius incubat maestae dolor.  
Non me quies nocturna, non altus sopor 100  
solvere curis: alitur et crescit malum  
et ardet intus qualis Aetnaeo vapor  
exundat antro. Palladis telae uacant  
et inter ipsas pensa labuntur manus;  
non colere donis templa votivis libet, 105  
non inter aras, Atthidum mixtam choris,  
jactare tacitis conscias sacris faces,  
nec adire castis precibus aut ritu pio  
adjudicatae praesidem terrae deam:  
juvat excitatas consequi cursu feras 110  
et rigida molli gaesa jaculari manu.  
Quo tendis, anime? Quid furens saltus amas?  
Fatale miserae matris agnosco malum:  
peccare noster novit in silvis amor.  
Genetrix, tui me miseret : infando malo 115  
correpta pecoris efferum saevi ducem  
audax amasti; torvus, impatiens jugi  
adulter ille, ductor indomiti gregis... -  
sed amabat aliquid. Quis meas miserae deus  
aut quis juvare Daedalus flammis queat? 120  
Non si ipse remeet, arte Mopsopia potens  
qui nostra caeca monstra conclusit domo,  
promittat ullam casibus nostris opem.  
Stirpem perosa Solis invisi Venus  
per nos catenas vindicat Martis sui 125  
suasque, probris omne Phoebeum genus  
onerat nefandis: nulla Minois levi  
defuncta amore est, jungitur semper nefas.

##### NUTRIX

Thesea conjunx, clara progenies Jovis,  
nefanda casto pectore exturba ocus, 130  
extingue flammis neve te dirae spei

praebe obsequentem: quisquis in primo obstitit  
 pepulitque amorem, tutus ac victor fuit; qui blandiendo dulce nutrit malum,  
 sero recusat ferre quod subiit jugum. 135  
 Nec me fugit, quam durus et veri insolens  
 ad recta flecti regius nolit tumor;  
 quemcumque dederit exitum casus feram:  
 fortem facit vicina libertas senem.

Honesta primum est velle nec labi via, 140  
 Pudor ; est secundus nosse peccandi modum.  
 Quo, misera, pergis? Quid domum infamem grauas  
 superasque matrem? Majus est monstro nefas:  
 nam monstra fato, moribus scelera imputes.  
 Si, quod maritus supera non cernit loca, 145  
 tutum esse facinus credis et vacuum metu,  
 erras; teneri crede Lethaeo abditum  
 Thesea profundo et ferre perpetuam Styga:  
 quid ille, lato maria qui regno premit  
 populisque reddit jura centenis pater 150  
 latere tantum facinus occultum sinet?  
 Sagax parentum est cura. Credamus tamen  
 astu doloque tegere nos tantum nefas:  
 quid ille rebus lumen infundens suum,  
 matris parens? Quid ille qui mundum quatit 155  
 vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu,  
 sator deorum? Credis hoc posse effici,  
 inter videntes omnia ut lateas avos?  
 Sed ut secundus numinum abscondat favor  
 coitus nefandos utque contingat stupro 160  
 negata magnis sceleribus semper fides,  
 quid poena praesens conscius mentis pavor  
 animusque culpa plenus et semet timens?  
 Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.  
 Compesce amoris impii flammam, precor, 165  
 nefasque quod non ulla tellus barbara  
 commisit umquam, non vagus campis Geta  
 nec inhospitalis Taurus aut sparsus Scythes;  
 expelle facinus mente castifica horridum  
 memorque matris metue concubitus novos. 170  
 Miscere thalamos patris et gnati apparatus  
 uteroque prolem capere confusam impio?  
 Perge et nefandis verte naturam ignibus. -  
 cur monstra cessant? Aula cur fratris vacat?  
 Prodigia totiens orbis insueta audiet, 175  
 natura totiens legibus cedit suis,  
 quotiens amabit Cressa?  
 PH. Quae memoras scio  
 vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi  
 pejora. Vadit animus in praeceps sciens  
 remeatque frustra sana consilia appetens. 180  
 Sic, cum gravatam navita adversa ratem  
 propellit unda, cedit in vanum labor  
 et victa prono puppis aufertur vado.  
 Quid ratio possit? Vicit ac regnat furor  
 potensque tota mente dominatur deus. 185  
 Hic volucer omni pollet in terra patens (des leçons multiples sur PATENS)

laesumque flammis torret indomitis Jovem; Gradivus istas belliger sensit faces, opifex trisulci fulminis sensit deus, et qui furentis semper Aetnaeis jugis versat caminos igne tam parvo calet; ipsumque Phoebum, tela qui nervo regit, figit sagitta certior missa puer volitatque caelo pariter et terris gravis.	190
NUT. Deum esse amorem turpis et vitio favens finxit libido, quoque liberior foret titulum furori numinis falsi addidit. Natum per omnis scilicet terras vagum Erycina mittit, ille per caelum volans proterva tenera tela molitur manu	195 200
regnumque tantum minimus e superis habet ; vana ista demens animus ascivit sibi Venerisque numen finxit atque arcus dei. Quisquis secundis rebus exultat nimis fluitque luxu, semper insolita appetit.	205
Tunc illa magnae dira fortunae comes subit libido : non placent suetae dapes, non tecta sani moris aut vilis scyphus. Cur in penates rarius tenues subit haec delicatas eligens pestis domos?	210
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus mediumque sanos vulgus affectus tenet et se coercent modica ? Contra divites regnoque fulti plura quam fas est petunt ? Quod non potest vult posse qui nimium potest.	215
Quid deceat alto praeditam solio vide: metue ac verere sceptras remeantis viri.	Budé :remeandis (sic !)
PH.. Amoris in me maximum regnum reor reditusque nullos metuo: non umquam amplius convexa tetigit supera qui mersus semel adiit silentem nocte perpetua domum.	220
NUT Ne crede Diti. Clauserit regnum licet, canisque diras Stygius observet fores: solus negatas inveniet Theseus vias. PH. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.	225
NUT. Immitis etiam conjugii castae fuit: experta saevam est barbara Antiope manum. Sed posse flecti conjugem iratum puta : quis hujus animum flectet intractabilem ? Exosus omne feminae nomen fugit,	230
immitis annos caelibus vitae dicat, conubia vitat: genus Amazonium scias. PH.Hunc in nivosi collis haerentem jugis et aspera agili saxa calcantem pede sequi per alta nemora, per montes placet.	235
NUT. Resistet ille seque mulcendum dabit castosque ritus Venere non casta exuet? Tibi ponet odium, cujus odio forsitan persequitur omnes ? Precibus haud vinci potest : Ferus est.	
PH. Amore didicimus vinci ferus. NUT Fugiet	240

PH.	Per ipsa maria si fugiat, sequar.	
NUT.	Patris memento.	
PH.	Meminimus matris simul.	
NUT.	Genus omne profugit.	
PH.	Paelicis careo metu.	
NUT.	Aderit maritus.	
PH.	Nempe Pirithoi comes ?	
NUT.	Aderitque genitor.	
PH.	Mitis Ariadnae pater.	245
NUT.	Per has senectae splendorum supplex comas fessumque curis pectus et cara ubera precor, furorem siste teque ipsa adjuva : pars sanitatis velle sanari fuit.	
PH.	Non omnis animo cessit ingenuo pudor. Paremus, alitrix. Qui regi non vult amor, vincatur. Haud te, fama, maculari sinam. Haec sola ratio est, unicum effugium mali : virum sequamur, morte praevertam nefas.	250
NUT.	Moderare, alumna, mentis effrenae impetus, animos coerce. Dignam ob hoc vita reor quod esse temet autumas dignam nece.	255
PH.	Decreta mors est : quaeritur fati genus. Laqueone vitam finiam an ferro incubem ? An missa praeceps arce Palladia cadam ? Proin castitatis vindicem armemus manum.	260
NUT.	Sic te senectus nostra praecipiti sinat perire leto ? Siste furibundum impetum.	
PH.	Haud quisquam ad vitam facile revocari potest ; prohibere nulla ratio periturum potest, ubi qui mori constituit et debet mori.	265
NUT.	Solamen annis unicum fessis, era, si tam protervus incubat menti furor, contemne famam : - fama vix vero favet, pejus merenti melior et pejor bono.	270
	Temptemus animum tristem et intractabilem. Meus iste labor est aggredi juvenem ferum mentemque saevam flectere immitis viri.	
	CHORUS	
	Diva non miti generata ponto, quam vocat matrem geminus Cupido, impotens flammis simul et sagittis iste lascivus puer et renidens tela quam certo moderatur arcu ! Labitur totas furor in medullas igne furtivo populante venas.	275
	Non habet latam data plaga frontem, sed vorat tectas penitus medullas. Nulla pax isti puero : per orbem spargit effusas agilis sagittas ; quaeque nascentem videt ora solem, quaeque ad Hesperias jacet ora metas, si qua ferventi subjecta cancro est, si qua Parrhasiae glacialis ursae semper errantes patitur colonos, novit hos aestus. Juvenum feroces conciat flammis senibusque fessis	280
		285
		290

rursus extinctos revocat calores, virginum ignoto ferit igne pectus et jubet caelo superos relicto vultibus falsis habitare terras :	295
Thessali Phoebus pecoris magister egit armentum positoque plectro impari tauros calamo vocavit. Induit formas quotiens minores ipse qui caelum nebulasque ducit :	300
candidas ales modo movit alas, dulcior vocem moriente cygno ; fronte nunc torva petulans juvencus virginum stravit sua terga ludo perque fraternos nova regna fluctus ungula lentos imitante remos pectore adverso domuit profundum, pro sua vector timidus rapina. Arsit obscuri dea clara mundi nocte deserta nitidosque fratri	305
tradidit currus aliter regendos : ille nocturnas agitare bigas discit et gyro brevior flecti, nec suum tempus tenuere noctes et dies tardo remeavit ortu,	310
dum tremunt axes graviore curru. Natus Alcmena posuit pharetras et minax vasti spoliium leonis, passus aptari digitis zmaragdos et dari legem rudibus capillis ; crura distincto religavit auro, luteo plantas cohibente socco ; et manu clavam modo qua gerebat, fila deduxit properante fuso :	315
Vidit Persis ditique ferax Lydia regno dejecta feri terga leonis umerisque quibus sederat alti regia caeli tenuem Tyrio stamine pallam. Sacer est ignis (credite laesis) nimiumque potens. Qua terra salo cingitur alto quaque per ipsum candida mundum sidera currunt, haec regna tenet puer immitis, spicula cuius sentit in imis	320
caerulus undis grex Nereidum flammamque nequit relevare mari. Iignes sentit genus aligerum ; Venere instinctus suscipit audax grege pro toto bella juvencus ; si conjugio timuere suo, poscunt timidi proelia cervi et mugitu dant concepti signa furoris. Tunc virgatas India tigres decolor horret ; tunc vulnificos acuit dentes aper et toto est spumeus ore,	325
	330
	335
	340
	345

Poeni quatiunt colla leones  
 cum movit Amor; tum silva gemit  
 murmure saevo. Amat insani 350  
 belua ponti Lucaeque boves:  
 vindicat omnem sibi naturam :  
 nihil immune est, odiumque perit  
 cum jussit Amor; veteres cedunt  
 ignibus irae. - Quid plura canam ? 355  
 Vincit saevas cura novercas

NUTRIX, <CHORUS>

CHORUS

Altrix, profare quid feras; quonam in loco est  
 Regina ? saevis ecquis est flammis modus ?  
 NUT. Spes nulla tantum posse leniri malum 360  
 finisque flammis nullus insanis erit.  
 Torretur aestu tacito et inclusus quoque,  
 quamvis tegatur, proditur vultu furor;  
 erumpit oculis ignis et lassae genae  
 lucem recusant ; nil idem dubiae placet 365  
 artusque varie jactat incertus dolor.  
 Nunc ut soluto labitur moriens gradu  
 et vix labante sustinet collo caput,  
 nunc se quieti reddit et, somni immemor,  
 noctem querelis ducit ; attolli jubet 370  
 iterumque poni corpus et solvi comas  
 rursusque fingi ; semper impatiens sui  
 mutatur habitus. Nulla jam cereris subit  
 cura aut salutis; vadit incerto pede,  
 jam viribus defecta : non idem vigor, 375  
 non ora tinguens nitida purpureus rubor ;  
 populatur artus cura, jam gressus tremunt  
 tenerque nitidi corporis cecidit decor.  
 Et qui ferebant signa Phoebeae facis  
 oculi nihil gentile nec patrium micant. 380  
 Lacrimae cadunt per ora et assiduo genae  
 rore irrigantur, qualiter Tauri jugis  
 tepido madescunt imbre percussae nives.  
 Sed en, patescunt regiae fastigia :  
 reclinis ipsa sedis auratae toro 385  
 solitos amictus mente non sana abnuit.

PHAEDRA, <CHORUS, NUTRIX, FAMULAE>

PH. Remove, famulae, purpura atque auro inlitas  
 vestes, procul sit muricis Tyrii rubor,  
 quae fila ramis ultimi Seres legunt :  
 brevis expeditos zona constringat sinus, 390  
 cervix monili vacua, nec niveus lapis  
 deducat auris, Indici donum maris;  
 odore crinis sparsus Assyrio vacet.  
 Sic temere jactae colla perfundant comae  
 umerosque summos, cursibus motae citis 395  
 ventos sequantur. Laeua se pharetrae dabit,  
 hastile vibret dextra Thessalicum manus :  
 talis severi mater Hippolyti fuit :  
 qualis relictis frigidi Ponti plagis



egit catervas Atticum pulsans solum Tanaitis aut Maeotis et nodo comas coegit emitque, lunata latus protecta pelta, talis in silvas ferar. CHORUS Sepone questus: non levat miseros dolor ; agreste placa virginis numen deae.	400      405
NUTRIX, HIPPOLYTUS	
NUT. Regina nemorum, sola quae montes colis et una solis montibus coleris dea, converte tristes ominum in melius minas. O magna silvas inter et lucos dea clarumque caeli sidus et noctis decus, cujus relucet mundus alterna vice, Hecate triformis, en ades coeptis favens. Animum rigentem tristis Hippolyti doma : det facilis aures ; mitiga pectus ferum : amare discat, mutuos ignes ferat.	410      415
Inflecte mentem: torvus, aversus, ferox in jura Veneris redeat. Huc vires tuas intende : sic te lucidi vultus ferant et nube rupta cornibus puris eas, sic te regentem frena nocturni aetheris detrahere numquam Thessali cantus queant nullusque de te gloriam pastor ferat. Ades invocata, jam faves votis, dea : ipsum intuo sollemne venerantem sacrum nullo latus comitante. - Quid dubitas? Dedit tempus locumque casus: utendum artibus.	420      425
Trepidamus ? Haud est facile mandatum scelus Audere ; verum jussa qui regis timet deponat omne et pellat ex animo decus : malus est minister regii imperii pudor.	430
HIP. Quid huc seniles fessa moliris gradus, o fida nutrix, turbidam frontem gerens et maesta vultu? Sospes est certe parens sospesque Phaedra stirpis et geminae jugum ? NUT. Metus remitte. Prospero regnum in statu est domusque florens sorte felici viget. Sed tu beatis mitior rebus veni : namque anxiam me cura sollicitat tui, quod te ipse poenis grauibus infestus domas. Quem fata cogunt, ille cum venia est miser ; At, si quis ultro se malis offert volens seque ipse torquet, perdere est dignus bona quis nescit uti. Potius annorum memor mentem relaxa : noctibus festis facem attolle ; curas Bacchus exoneret graves ; aetate fruire : mobili cursu fugit.	435              440      445
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus : exultet animus. Cur toro viduo jaces ? Tristem juventam solve; nunc cursus rape, effunde habenas, optimos vitae dies effluere prohibe. Propria descripsit deus officia et aevum per suos duxit gradus :	450

laetitia juvenem, frons decet tristis senem.  
 Quid te coherces et necas rectam indolem ?  
 Seges illa magnum fenus agricolae dabit 455  
 quaecumque laetis tenera luxuriat satis,  
 arborque celso vertice evincet nemus  
 quam non maligna caedit aut resecat manus :  
 ingenia melius recta se in laudes ferunt,  
 si nobilem animum vegeta libertas alit. 460  
 Truculentus et silvester ac vitae inscius  
 tristem juventam Venere deserta coles ?  
 Hoc esse munus credis indictum viris,  
 ut dura tolerent, cursibus domitent equos  
 et saeva bella Marte sanguineo gerant ? 465  
 Providit ille maximus mundi parens,  
 cum tam rapaces cerneret Fati manus,  
 ut damna semper subole repararet nova.  
 Excedat agedum rebus humanis Venus,  
 quae supplet ac restituit exhaustum genus : 470  
 orbis jacebit squalido turpis situ,  
 vacuum sine ullis piscibus stabit mare,  
 alesque caelo derit et silvis fera,  
 solis et aer pervius ventis erit.  
 Quam varia leti genera mortalem trahunt 475  
 carpuntque turbam : pontus et ferrum et doli !  
 sed fata credas desse : sic atram Styga  
 jam petimus ultro. Caelibem vitam probet  
 sterilis juvenus: hoc erit, quidquid vides,  
 unius aevi turba et in semet ruet. 480  
 Proinde vitae sequere naturam ducem :  
 urbem frequenta, civium coetus cole.  
 HIP. Non alia magis est libera et vitio carens  
 ritusque melius uita quae priscos colat,  
 quam quae relictis moenibus silvas amat. 485  
 Non illum avarae mentis inflammat furor  
 qui se dicavit montium insontem jugis,  
 non aura populi et vulgus infidum bonis,  
 non pestilens invidia, non fragilis favor,  
 non ille regno servit aut regno imminens 490  
 vanos honores sequitur aut fluxas opes,  
 spei metusque liber, haud illum niger  
 edaxque livor dente degeneri petit ;  
 nec scelera populos inter atque urbes sata  
 novit nec omnes conscius strepitus pavet 495  
 aut verba fingit ; mille non quaerit tegi  
 dives columnis nec trabes multo insolens  
 suffigit auro ; non cruor largus pias  
 inundat aras, fruge nec sparsi sacra  
 centena nivei colla summittunt boves. 500  
 Sed rure vacuo potitur et aperto aethere  
 innocuus errat. Callidas tantum feris  
 struxisse fraudes novit et fessus gravi  
 labore niveum corpus Iliso foveat :  
 nunc ille ripam celeris Alphei legit, 505  
 nunc nemoris alti densa metatur loca,  
 ubi Lerna puro gelida perlucent vado,  
 sedesque mutat : hinc aves querulae fremunt

ornique ventis lene percussae tremunt veteresque fagi. Vivit aut amnis vagi pressisse ripas, caespite aut nudo leves duxisse somnos, sive fons largus citas defundit undas, sive per flores novos fugiente dulcis murmurat rivo sonus.	510
Excussa silvis poma compescunt famem et fraga parvis vulsa dumetis cibos faciles ministrant. Regios luxus procul est impetus fugisse : sollicito bibunt auro superbi ; quam juvat nuda manu captasse fontem : certior somnus premit secura duro membra versantem toro.	515
Non in recessu furta et obscuro improbus quaerit cubili seque multiplici timens domo recondit : aethera ac lucem petit et teste caelo vivit. Hoc equidem reor vixisse ritu prima quos mixtos diis profudit aetas. Nullus his auri fuit caecus cupido, nullus in campo sacer divisit agros arbiter populis lapis ; nondum secabant credulae pontum rates : sua quisque norat maria ; non vasto aggere crebraque turre cinxerant urbes latus ; non arma saeva miles aptabat manu nec torta clausas fregerat saxo gravi ballista portas, jussa nec dominum pati juncto ferebat terra servitium bove : sed arva per se feta poscentes nihil pavere gentes, silva nativas opes et opaca dederant antra nativas domos.	520
Rupere foedus impius lucri furor et ira praeceps quaeque succensas agit libido mentes ; venit imperii sitis cruenta, factus praeda majori minor : pro jure vires esse. Tum primum manu bellare nuda saxaque et ramos rudes vertere in arma : non erat gracili levis armata ferro cornus aut longo latus mucrone cingens ensis aut crista procul galeae comantes : tela faciebat dolor.	525
Invenit artes bellicus Mavors novas et mille formas mortis. Hinc terras cruor infecit omnis fusus et rubuit mare. Tum scelera dempto fine per cunctas domos iere, nullum caruit exemplo nefas : a fratre frater, dextera gnati parens cecidit, maritus conjugis ferro jacet perimuntque fetus impiae matres suos ; taceo novercas: Mitius nil est feris.	530
Sed dux malorum femina : haec scelerum artifex obsedit animos, hujus infestis stupris fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt et versa ab imo regna tot populos premunt. Sileantur aliae : sola conjunx Aegei, Medea, reddet feminas dirum genus.	535
	540
	545
	550
	555
	560

NUT. Cur omnium fit culpa paucarum scelus ?	565
HIP. Detestor omnis, horreo, fugio, execror. Sit ratio, sit natura, sit dirus furor : odisse placuit. Ignibus junges aquas et amica ratibus ante promittet vada	
incerta Syrtis, ante ab extremo sinu Hesperia Tethys lucidum attollet diem et ora dammis blanda praebebunt lupi, quam victus animum feminae mitem geram.	570
NUT. Saepe obstinatis induit frenos Amor et odia mutat. Regna materna aspice : illae feroces sentiunt Veneris jugum ; testaris istud unicus gentis puer.	575
HIP. Solamen unum matris amissae fero, odisse quod jam feminas omnis licet.	
NUT. Vt dura cautes undique intractabilis resistit undis et lacescentes aquas longe remittit, verba sic spernit mea. Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae. Quo se dabit fortuna ? Quo verget furor ? Terra repente corpus exanimum accidit et ora morti similis obduxit color.	580
Attolle vultus, dimove vocis moras : tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.	585

#### PHAEDRA ET IDEM

PH. Quis me dolori reddit atque aestus graves reponit animo ? Quam bene excideram mihi !	590
HIP. Cur dulce munus redditae lucis fugis?	
PH. Aude, anime, tempta, perage mandatum tuum. Intrepida constant verba : qui timide rogat docet negare. Magna pars sceleris mei olim peracta est ; serus est nobis pudor : amavimus nefanda. Si coepta exsequor, forsan jugali crimen abscondam face : honestam quaedam scelera successus facit. en, incipe, anime ! - Commodus paulum, precor, secretus aures. si quis est abeat comes.	595
HIP. En locus ab omni liber arbitrio vacat.	600
PH. Sed ora coeptis transitum verbis negant; vis magna vocem mittit et major tenet. Vos testor omnis, caelites, hoc quod volo [me nolle]	605.
HIP. Animusne cupiens aliquid effari nequit ?	
PH. Curae leves loquuntur, ingentes stupent.	
HIP. Committe curas auribus, mater, meis.	
PH. Matris superbum est nomen et nimium potens : nostros humilium nomen affectus decet ; me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca, famulamque potius : omne servitium feram. non me per altas ire si jubeas nives, pigeat gelatis ingredi Pindi jugis; non, si per ignes ire et infesta agmina, cuncter paratis ensibus pectus dare.	610
Mandata recipe sceptrum, me famulam accipe : te imperia regere, me decet iussa exequi :	615

muliebre non est regna tutari viri :  
 tu qui iuventae flore primaevo viges, 620  
 cives paterno fortis imperio rege,  
 sinu receptam supplicem ac servam tege:  
 miserere viduae.  
 HIP. Summus hoc omen deus  
 avertat. Aderit sospes actutum parens.  
 PH.Regni tenacis dominus et tacitae Stygis 625  
 nullam relictos fecit ad superos viam :  
 thalami remittet ille raptorem sui ?  
 Nisi forte amor placidus et Pluton sedet.  
 HIP.Illum quidem aequi caelites reducem dabunt,  
 sed dum tenebit vota in incerto dues 630,  
 pietate caros debita fratres colam,  
 et te merebor esse ne viduam putes  
 ac tibi parentis ipse supplebo locum.  
 PH.O spes amantum credula, o fallax Amor !  
 Satisne dixi ? - Precibus admotis agam. 635  
 Miserere, tacitae mentis exaudi preces -  
 Libet loqui pigetque.  
 HIP. Quodnam istud malum est ?  
 PH.Quod in novercam cadere vix credas malum.  
 HIP Ambigua voce verba perplexa jacis:  
 effare aperte.  
 PH. Pectus insanum vapor 640  
 amorque torret. Intimis saevit ferus  
 penitus medullis atque per venas meat  
 visceribus ignis mersus et venus latens  
 ut agilis altas flamma percurrit trabes.  
 HIP. Amore nempe Thesei casto furis? 645  
 Ph. Hippolyte, sic est : Thesei vultus amo  
 illos priores quos tulit quondam puer,  
 cum prima puras barba signaret genas  
 monstrique caecam Gnosii vidit domum  
 et longa curva fila collegit via. 650  
 Quis tum ille fulsit ! Presserant vittae comam  
 et ora flavus tenera tinguebat pudor ;  
 inerant lacertis mollibus fortes tori ;  
 tuaeque Phoebes vultus aut Phoebi mei,  
 tuusque potius - talis, en talis fuit 655  
 cum placuit hosti, sic tulit celsum caput :  
 in te magis refulget incomptus decor ;  
 est genitor in te totus et torvae tamen  
 pars aliqua matris miscet ex aequo decus:  
 in ore Graio Scythicus apparet rigor. 660  
 Si cum parente Creticum intrasses fretum,  
 tibi fila potius nostra nevisset soror.  
 Te, te, soror, quacumque siderei poli  
 in parte fulges, invoco ad causam parem :  
 domus sorores una corripuit duas, 665  
 te genitor, at me gnatus. En supplex jacet  
 adlapsa genibus regiae proles domus.  
 Respersa nulla labe et intacta innocens  
 tibi mutor uni. Certa descendi ad preces :  
 finem hic dolori faciet aut vitae dies. 670  
 Miserere amantis.

HIP.                   Magne regnator deum,  
tam lentus audis scelera, tam lentus uides ?  
Et quando saeva fulmen emittes manu,  
si nunc serenum est ? Omnis impulsus ruat  
aether et atris nubibus condant diem,                   675  
ac versa retro sidera obliquos agant  
retorta cursus. Tuque, sidereum caput,  
radiate Titan, tu nefas stirpis tuae  
speculare ? Lucem merge et in tenebras fuge.  
Cur dextra, divum rector atque hominum, vacat                   680  
tua, nec trisulca mundus ardescit face ?  
In me tona, me fige, me velox cremet  
transactus ignis: sum nocens, merui mori:  
placui novercae. dignus en stupris ego?  
scelerique tanto visus ego solus tibi                   685  
materia facilis? Hoc meus meruit rigor ?  
O scelere vincens omne femineum genus,  
o majus ausa matre monstrifera malum  
genetrice pejor! Illa se tantum stupro  
contaminavit, et tamen tacitum diu                   690  
crimen bifirmi partus exhibuit nota,  
scelusque matris arguit vultu truci  
ambiguus infans : - ille te uenter tulit.  
O ter quaterque prospero fato dati  
quos hausit et peremit et leto dedit                   695  
odium dolusque : - genitor, invideo tibi :  
Colchide noverca majus haec, majus malum est.  
PH. Et ipsa nostrae fata cognosco domus :  
fugienda petimus ; sed mei non sum potens.  
Te vel per ignes, per mare insanum sequar                   700  
rupesque et amnes, unda quos torrens rapit ;  
quacumque gressus tuleris hac amens agar : -  
iterum, superbe, genibus advolvor tuis.  
HIP. Procul impudicos corpore a casto amoue  
Tactus: - quid hoc est ? Etiam in amplexus ruit ?                   705  
Stringatur ensis ; merita supplicia exigat.  
En impudicum crine contorto caput  
laeua reflexi : justior numquam focus  
datus tuis est sanguis, arquitenens dea.  
PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis ;                   710  
sanas furentem. Majus hoc voto meo est,  
salvo ut pudore manibus immoriar tuis.  
HIP. Abscede, vive, ne quid exores, et hic  
contactus ensis deserat castum latus.  
Quis eluet me Tanais aut quae barbaris                   715  
Maeotis undis Pontico incumbens mari ?  
Non ipse toto magnus Oceano pater  
tantum expiarit sceleris. O silvae, o ferae !

<NUTRIX, PHAEDRA>

NUT. Deprensa culpa est. Anime, quid segnis stupes ?  
Regeramus ipsi crimen atque ultro impiam                   720  
Venerem arguamus : scelere velandum est scelus ;  
tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.  
Ausae priores simus an passae nefas,  
secreta cum sit culpa, quis testis sciet ?

Adeste, Athenae ! Fida famulorum manus, fer opem ! Nefandi raptor Hippolytus stupri instat premitque, mortis intentat metum, ferro pudicam terret : - en praeceps abit ensemque trepida liquit attonitus fuga.	725
Pignus tenemus sceleris. Hanc maestam prius recreate. Crinis tractus et lacerae comae, ut sunt, remaneant, facinoris tanti notae. Perferte in aedes ! - Recipe jam sensus, era. Quid te ipsa lacerans omnium aspectus fugis ? Mens impudicam facere, non casus, solet.	730
CHORUS	aedes conj. Herrmann: urbem codd.
Fugit insanae similis procellae, ocior nubes glomerante Coro, ocior cursum rapiente flamma, stella cum ventis agitata longos porrigit ignes.	735
Conferat tecum decus omne priscum fama miratrix senioris aevi : pulchrior tanto tua forma lucet, clarior quanto micat orbe pleno cum suos ignes coeunte cornu junxit et curru properante pernox exerit vultus rubicunda Phoebe nec tenent stellae faciem minores ; talis est, primas referens tenebras, nuntius noctis, modo lotus undis Hesperus, pulsus iterum tenebris Lucifer idem.	740
Et tu, thyrsgera Liber ab India, intonsa juvenis perpetuum coma, tigres pampinea cuspide territans ac mitra cohibens cornigerum caput, non vinces rigidas Hippolyti comas. Ne vultus nimium suspicias tuos : omnis per populos fabula distulit, Phaedrae quem Bromio praetulerit soror.	745
Anceps forma bonum mortalibus, exigui donum breve temporis, ut velox celeri pede laberis! non sic prata novo vere decentia aestatis calidae despoliat vapor, saevit solstitio cum medius dies et noctes brevibus praecipitat rotis. Languescunt folio ut lilia pallido : et gratae capiti deficiunt rosae, ut fulgor teneris qui radiat genis momento rapitur nullaque non dies formonsi spolium corporis abstulit. Res est forma fugax : quis sapiens bono confidat fragili ? Dum licet, utere.	750
Tempus te tacitum subruit, horaque semper praeterita deterior subit. Quid deserta petis ? Tutior aviis non est forma locis : te nemore abdito, cum Titan medium constituit diem,	760
	765
	770
	775
	territans : temperans itinera electronica

cingent turba licens, Naides improbae, formonsos solitae claudere fontibus, et somnis facient insidias tuis lascivae nemorum noctivagae deae Panes quas Dryades montivagi petunt.	780
Aut te stellifero despiciens polo sidus post veteres Arcadas editum currus non poterit flectere candidos. Et nuper rubuit, nullaque lucidis nubes sordidior vultibus obstitit ;	785
at nos solliciti numine turbido, tractam Thessalicis carminibus rati, tinnitus dedimus : tu fueras labor et tu causa morae, te dea noctium dum spectat celeres sustinuit vias.	790
Vexent hanc faciem frigora parcius, haec solem facies rarius appetat : lucebit Pario marmore clarius. Quam grata est facies torva viriliter et pondus veteris triste supercili !	795
Phoebo colla licet splendida compares : illum caesaries nescia colligi perfundens umeros ornat et integit ; te frons hirta decet, te brevior coma nulla lege jacens; tu licet asperos pugnacesque deos viribus audeas	800
et vasti spatio vincere corporis: aequas Herculeos nam juvenis toros, Martis belligeri pectore latior. si dorso libeat cornipedis vehi frenis Castorea mobilior manu	805
Spartanum poteris flectere Cyllaron. Ammentum digitis tende prioribus et totis jaculum dirige viribus : tam longe dociles spicula figere non mittent gracilem Cretes harundinem.	810
Aut si tela modo spargere Parthico in caelum placeat, nulla sine alite descendent, tepido viscere condita praedam de mediis nubibus afferent. Raris forma viris (saecula prospice) impunita fuit. Te melior deus tutum praetereat formaque nobilis deformis senii monstret imaginem.	815
Quid sinat inausum feminae praeceps furor ? Nefanda juveni crimina insonti apparat. En scelera ! Quaerit crine lacerato fidem, decus omne turbat capitis, umectat genas : instruitur omni fraude feminea dolus. Sed iste quisnam est, regium in vultu decus gerens et alto vertice attollens caput ?	820
Ut ora juveni paria Pittheo gerit ; ni languido pallore canderent genae staretque recta squalor incultus coma ! En ipse Theseus redditus terris adest.	825
THESEUS, NUTRIX	830



## THESEUS

Tandem profugi noctis aeternae plagam  
vastoque manes carcere umbrantem polum  
et vix cupitum sufferunt oculi diem. 835

Jam quarta Eleusin dona Triptolemi secat  
paremque totiens Libra composuit diem,  
ambiguus ut me sortis ignotae labor  
detinuit inter mortis et vitae mala. 840

Pars una vitae mansit extincto mihi :  
Sensus. Malorum finis Alcides fuit,  
qui cum revulsum Tartaro abstraheret canem,  
me quoque supernas pariter ad sedes tulit. 845

Sed fessa virtus robore antiquo caret  
trepidantque gressus. Heu, labor quantus fuit  
Phlegethonte ab imo petere longinquum aethera  
pariterque mortem fugere et Alcidem sequi.

Quis fremitus aures flebilis pepulit meas ?  
Expromat aliquis. Luctus et lacrimae et dolor :  
in limine ipso maesta lamentation ? 850

Auspicia digna prorsus inferno hospite.  
NUT. Tenet obstinatum Phaedra consilium necis  
fletusque nostros spernit ac morti imminet. 855

TH. Quae causa leti ? Reduce cur moritur viro ?

NUT. Haec ipsa letum causa maturum attulit.

TH. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.

Effare aperte, quis grauet mentem dolor.

NUT. Haut pandit ulli ; maesta secretum occulit  
statuitque secum ferre quo moritur malum.

Jam perge, quaeso, perge : properato est opus.

TH. Reserate clausos regii postes laris.

## THESEUS, PHAEDRA, NUTRIX (TACITA)

<TH.> O socia thalami, sicine adventum viri  
et expetiti conjugis vultum excipis ? 865

Quin ense viduas dexteram atque animum mihi  
restituis et te quidquid e vita fugat  
expromis ?

PH. Eheu, per tui sceptrum imperi,  
magnanime Theseu, perque natorum indolem  
tuosque reditus perque jam cineres meos,  
permitte mortem. 870

TH. Causa quae cogit mori ?

PH. Si causa leti dicitur, fructus perit.

TH. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.

PH. Aures pudica conjugis solas timet.

TH. Effare : fido pectore arcana occulam. 875

PH. Alium silere quod voles, primus sile.

TH. Leti facultas nulla continget tibi.

PH. Mori volenti desse mors numquam potest.

TH. Quod sit luendum morte delictum indica.

PH. Quod vivo.

TH. Lacrimae nonne te nostrae movent ? 880

PH. Mors optima est perire lacrimandum suis.

TH. Silere pergit. - Verbere ac vinculis anus

adstricta prodet quicquid haec fari abnuit.

Vincite ferro. Verberum vis extrahat

secreta mentis

PH. Ipsa jam fabor, mane.	885
TH. Quidnam ora maesta avertis et lacrimas genis subito coortas veste praetenta optegis?	
PH. Te, te, creator caelitem, testem invoco, et te, coruscum lucis aetheriae jubar, ex cujus ortu nostra dependet domus :	890
temptata precibus restiti ; ferro ac minis non cessit animus : vim tamen corpus tulit. Labem hanc pudoris eluet noster cruor.	
TH. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?	
PH. Quem rere minime.	
TH. Quis sit audire expeto.	895
Ph. Hic dicet ensis, quem tumultu territus liquit stuprator civium accursum timens.	
TH. Quod facinus, heu me, cerno? Quod monstrum intuo?	
regale patriis asperum signis ebur ; capulo refulget, gentis Actaeae decus. sed ipse quonam evasit ?	900
PH. Hi trepidum fuga videre famuli concitum celeri pede.	
TH. Pro sancta Pietas, pro gubernator poli et qui secundum fluctibus regnum moves, unde ista venit generis infandi lues ?	905
Hunc Graia tellus aluit an Taurus Scythes Colchusque Phasis ? Redit ad auctores genus stirpemque primam degener sanguis refert.	
Est prorsus iste gentis armiferae furor, odisse Veneris foedera et castum diu vulgare populis corpus. O tetrum genus nullaque victum lege melioris soli !	910
Ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas, generisque leges inscius servat pudor.	
Vbi vultus ille et ficta majestas viri atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens, morumque senium triste et affectus graves ?	915
O vita fallax, abditos sensus geris animisque pulchram turpibus faciem induis :	
pudor impudentem celat, audacem quies, pietas nefandum ; vera fallaces probant simulantque molles dura. Silvarum incola ille efferatus, castus, intactus, rudis, mihi te reservas ? A meo primum toro et scelere tanto placuit ordiri virum ?	920
Jam jam superno numini grates ago, quod icta nostra cecidit Antiope manu, quod non ad antra Stygia descendens tibi matrem reliqui. Profugus ignotas procul percurre gentes : te licet terra ultimo summota mundo dirimat Oceani plagis orbemque nostris pedibus obversum colas, licet in recessu penitus extremo abditus horrifera celsi regna transieris poli hiemesque supra positus et canas nives gelidi frementes liqueris Boreae minas post te furentes, sceleribus poenas dabis. Profugum per omnis pertinax latebras premam :	925
	930
	935

Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia emetiemur, nullus obstabit locus :	940
scis unde redeam. Tela quo mitti haud queunt, huc vota mittam : genitor aequoreus dedit ut vota prono terna concipiam deo, et invocata munus hoc sanxit Styge.	
En perage donum triste, regnator freti !	945
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem adeatque manes juvenis iratos patri. Fer abominandam nunc opem gnato, parens :	
numquam supremum numinis munus tui consumeremus, magna ni premerent mala ;	950
inter profunda Tartara et Ditem horridum et imminentes regis inferni minas, voto pepercit : redde nunc pactam fidem. Genitor, moraris ? Cur adhuc undae silent?	
Nunc atra ventis nubila impellentibus	955
subtexe noctem, sidera et caelum eripe, effunde pontum, vulgus aequoreum cie fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.	
CHORUS	
O magna parens, Natura, deum tuque igniferi rector Olympi,	960
qui sparsa cito sidera mundo cursusque vagos rapis astrorum celerique polos cardine versas, cur tanta tibi cura perennes agitare vices aetheris alti,	965
ut nunc canae frigora brumae nudent silvas, nunc arbustis redeant umbrae, nunc aestivi colla leonis Cererem magno fervore coquant viresque suas	970
temperet annus ? Sed cur idem qui tanta regis, sub quo vasti pondera mundi librata suos ducunt orbis, hominum nimium securus abes, non sollicitus	975
prodesse bonis, nocuisse malis ? Res humanas ordine nullo Fortuna regit sparsitque manu munera caeca, pejora fovens :	
vincit sanctos dira libido, fraus sublimi regnat in aula;	980
Tradere turpi fasces populus gaudet, eosdem colit atque odit. Tristis virtus perversa tulit	
praemia recti : castos sequitur mala paupertas vitioque potens regnat adulter : o vane pudor falsumque decus!	985
Sed quid citato nuntius properat gradu rigatque maestis lugubrem vultum genis ?	990

NUNTIUS, THESEUS, <CHORUS>

NUNTIUS

O sors acerba et dura, famulatus gravis,  
 cur me ad nefandi nuntium casus vocas?  
 TH. Ne metue cladis fortiter fari asperas :  
 non imparatum pectus aerumnis gero. 995  
 NUN. Vocem dolori lingua luctificam negat.  
 TH. Proloquere, quae sors aggravet quassam domum.  
 NUN. Hippolytus, heu me, flebili leto occubat.  
 TH. Gnatum parens obisse jam pridem scio :  
 nunc raptor obiit. Mortis effare ordinem. 1000  
 NUN. Vt profugus urbem liquit infesto gradu  
 celerem citatis passibus cursum explicans,  
 celso sonipedes ocius subigit jugo  
 et ora frenis domita substrictis ligat.  
 Tum multa secum effatus et patrium solum  
 abominatus saepe genitorem ciet 1005  
 acerque habenis lora permissis quatit :  
 cum subito vastum tonuit ex alto mare  
 crevitque in astra. Nullus inspirat salo  
 ventus, quieti nulla pars caeli strepit  
 placidumque pelagus propria tempestas agit. 1010  
 Non tantus Auster Sicula disturbat freta  
 nec tam furens Ionius exurgit sinus  
 regnante Coro, saxa cum fluctu tremunt  
 et cana summum spuma Leucaten ferit.  
 Consurgit ingens pontus in vastum aggerem, 1015  
 tumidumque monstro pelagus terras ruit.  
 Nec ista ratibus tanta construitur lues :  
 terris minatur ; fluctus haud cursu levi  
 provolvitur; nescio quid onerato sinu  
 gravis unda portat. Quae novum tellus caput 1020  
 ostendit astris ? Cyclas exoritur nova ? 1021  
 Haec dum stupentes quaerimus, totum en mare 1025  
 immugit, omnes undique scopuli adstrepunt; 1026  
 Latuere rupes numine Epidauri dei 1022  
 et scelere petrae nobiles Scironides 1023  
 et quae duobus terra comprimitur fretis. 1024  
 Summum cacumen rorat expulso sale, 1027  
 spumat vomitque vicibus alternis aquas  
 qualis per alta vehitur Oceani freta  
 fluctum refundens ore physeter capax. 1030  
 Inhorruit concussus undarum globus  
 solvitque sese et litori invexit malum  
 majus timore, pontus in terras ruit  
 suumque monstrum sequitur. Nos quassat tremor. 1035  
 Quis habitus ille corporis vasti fuit !  
 Caerulea taurus colla sublimis gerens  
 erexit altam fronte viridanti jubam ;  
 stant hispidae aures, orbibus varius color,  
 et quem feri dominator habuisset gregis  
 et quem sub undis natus : hinc flammam vomunt 1040  
 oculi, hinc relucent caerulea insignes nota ;  
 opima cervix arduos tollit toros  
 naesque hiulcis haustibus patulae fremunt;  
 musco tenaci pectus ac palear viret,  
 longum rubente spargitur fuco latus ; 1045  
 tum pone tergus ultima in monstrum coit

facies et ingens belua immensam trahit  
 squamosa partem. Talis extremo mari  
 pistrix citatas sorbet aut frangit rates.  
 Tremuere terrae, fugit attonitum pecus 1050  
 passim per agros, nec suos pastor sequi  
 meminit iuvencoſ ; omnis e saltu fera  
 diffugit, omnis frigido exsanguis metu  
 venator horret. Solus immunis metu  
 Hippolytus artis continet frenis equos 1055  
 pavidosque notae vocis hortatu ciet.  
 Est alta ad Argos collibus ruptis via,  
 vicina tangens spatia suppositi maris ;  
 hic se illa moles acuit atque iras parat.  
 Ut cepit animos seque praetemptans satis 1060  
 prolusit irae, praepeti cursu evolat,  
 summam citato vix gradu tangens humum,  
 et torva currus ante trepidantis stetit.  
 Contra feroci gnatus insurgens minax  
 vultu nec ora mutat et magnum intonat : 1065  
 « Haud frangit animum vanus hic terror meum :  
 nam mihi paternus vincere est tauros labor. »  
 Inobsequentes protinus frenis equi  
 rapuere cursum jamque derrantes via,  
 quacumque rabidos pavidus evexit furor, 1070  
 hac ire pergunt seque per scopulos agunt.  
 At ille, qualis turbido rector mari  
 ratem retentat, ne det obliquum latus,  
 et arte fluctum fallit, haud aliter citos  
 currus gubernat : ora nunc pressis trahit 1075  
 constricta frenis : terga nunc torto frequens  
 verberare coercet. Sequitur adsiduus comes,  
 nunc aequa carpens spatia, nunc contra obvius  
 oberrat, omni parte terrorem movens.  
 Non licuit ultra fugere : nam toto obvius 1080  
 incurrit ore corniger ponti horridus.  
 Tum vero pavida sonipedes mente exciti  
 imperia solvunt seque luctantur iugo  
 eripere rectique in pedes jactant onus.  
 Praeceptis in ora fusus implicuit cadens 1085  
 laqueo tenaci corpus et quanto magis  
 pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.  
 Sensere pecudes facinus - et curru levi  
 dominante nullo, qua timor jussit ruunt.  
 Talis per auras non suum agnoscens onus 1090  
 Solique falso creditum indignans diem  
 Phaethonta currus devio excussit polo.  
 Late cruentat arva et inlisum caput  
 scopulis resultat ; auferunt dum comas,  
 et ora durus pulchra populatur lapis 1095  
 peritque multo vulnere infelix decor.  
 Moribunda celeres membra pervolvunt rotae ;  
 tandemque raptum truncus ambusta sude  
 medium per inguen stipite ingesto tenet,  
 paulumque domino currus affixo stetit. 1100  
 Haesere bijuges vulnere - et pariter moram  
 dominumque rumpunt. Inde semianimem secant

virgulta, acutis asperi vepres rubis  
 omnisque truncus corporis partem tulit.  
 Errant per agros funebris famuli manus, 1105  
 per illa qua distractus Hippolytus loca  
 longum cruenta tramitem signat nota,  
 maestaeque domini membra vestigant canes.  
 Necdum dolentum sedulus potuit labor  
 explere corpus. Hocine est formae decus ? 1110  
 Qui modo paterni clarus imperii comes  
 et certus heres siderum fulsit modo  
 passim ad supremos ille colligitur rogos  
 et funeri confertur.  
 TH. O nimium potens  
 quanto parentes sanguinis vinclo tenes 1115  
 natura ! Quam te colimus inviti quoque !  
 Occidere volui noxium, amissum fleo.  
 NUN. Haud flere honeste quisque quod voluit potest.  
 TH. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,  
 si abominanda casus optanda efficit. 1120  
 NUN. Et si odia servas, cur madent fletu genae ?  
 TH. Quod interemi, non quod amisi, fleo.  
 CHORUS  
 Quanti casus humana rotant !  
 minor in parvis Fortuna furit  
 leviusque ferit leviora deus ; 1125  
 servat placidos obscura quies  
 praebetque senes casa securos.  
 Admota aetheriis culmina sedibus  
 Euros excipiunt, excipiunt Notos,  
 insani Boreae minas 1130  
 imbriferumque Corum.  
 Raros patitur fulminis ictus  
 umida vallis :  
 tremuit telo Jovis altisoni  
 Caucasus ingens Phrygiumque nemus 1135  
 matris Cybeles : metuens caelo  
 Juppiter alto vicina petit ;  
 non capit umquam magnos motus  
 humilis tecti plebeia domus,  
 circa regna tonat. 1140  
 Volat ambiguus mobilis alis  
 hora, nec ulli praestat velox  
 Fortuna fidem. Hic qui clari  
 † sidera mundi.  
 nitidumque diem, nocte relictas, 1145  
 luget maestos tristis reditus  
 ipsoque magis flebile Averno  
 sedis patriae videt hospitium.  
 Pallas Actaeae veneranda genti,  
 quod tuus caelum superosque Theseus 1150  
 spectat et fugit Stygias paludes,  
 casta nil debes patruo rapaci :  
 constat inferno numerus tyranno.  
 Quae vox ab altis flebilis tectis sonat  
 strictoque vaecors Phaedra quid ferro parat ? 1155  
 THESEUS, PHAEDRA, CHORUS

TH. Quis te dolore percitam instigat furor ? Quid ensis iste quidve vociferatio planctusque supra corpus invisum volunt ? PH. Me, me, profundi saeve dominator freti, invade et in me monstra caerulei maris emitte, quidquid intimo Tethys sinu extrema gestat, quidquid Oceanus vagis complexus undis ultimo fluctu tegit. O dure Theseu semper, o numquam ad tuos tuto reverse : gnatus et genitor nece reditus tuos luere ; pervertis domum amore semper conjugum aut odio nocens. Hippolyte, tales intuo vultus tuos talesque feci ? Membra quis saevus Sinis aut quis Procrustes sparsit aut quis Cresius, Daedalea vasto claustra mugitu replens, Taurus biformis ore cornigero ferox Divulsit ? Heu me, quo tuus fugit decor oculique nostrum sidus ? Exanimis jaces ? Ades parumper verbaque exaudi mea. - nil turpe loquimur : hac manu poenas tibi solvam et nefando pectori ferrum inseram animaque Phaedram pariter ac scelere exuam et te per undas perque Tartareos lacus, per Styga, per amnes igneos amens sequar. Placemus umbras : capitis exuvias cape laceraque frontis accipe abscissam comam. Non licuit animos jungere, at certe licet Junxisse fata. Morere, si casta es, viro ; si incesta, amori. Coniugis thalamos petam tanto impiatos facinore ? Hoc derat nefas, ut vindicato sancta fruereris toro. O mors amoris una sedamen mali, o mors pudoris maximum laesi decus, confugimus ad te: pande placatos sinus. Audite, Athenae, tuque, funesta pater pejor noverca: falsa memoravi et nefas, quod ipsa demens pectore insano hauseram, mentita finxi. Vana punisti pater, juvenisque castus crimine incesto jacet, pudicus, insons : - recipe jam mores tuos. Mucrone pectus impium justo patet cruorque sancto solvit inferias viro. Quid facere rapto debeas gnato parens, disce a noverca : condere Acherontis plagis.	1160
TH.Pallidi fauces Averni vosque, Taenarii specus, unda miseris grata Lethes vosque, torpentes lacus, impium rapite atque mersum premite perpetuis malis. Nunc adeste, saeva ponti monstra, nunc vastum tume, ultimo quodcumque Proteus aequorum abscondit sinu, meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites. Tuque semper, genitor, irae facilis assensor meae: morte facili dignus haud sum qui nova natum nece segregem sparsi per agros quique, dum falsum nefas exsequor vindex severus, incidi in verum scelus. Sidera et manes et undas scelere complevi meo :	1165
	1170
	1175
	1180
	1185
	1190
	1195
	1200
	1205
	1210

<p>amplius sors nulla restat : regna me norunt tria.  In hoc redimus ? Patuit ad caelum via,  bina ut viderem funera et geminam necem,  caelebs et orbus funebres una face  ut concremarem prolis ac thalami rogos ?  Donator atrae lucis, Alcide, tuum  Diti remitte munus ; ereptos mihi  restitu manes. Impius frustra invoco  mortem relictam ; - crudus et leti artifex,  exitia machinatus insolita, efferat,  nunc tibimet ipse justa supplicia inroga.  Pinus coacto vertice attingens humum  caelo remissum findat in geminas trabes,  mittarve praeceps saxa per Scironia ?  Graviora vidi, quae pati clausos jubet  Phlegethon nocentes igneo cingens vado :  quae poena memet maneat et sedes, scio.  Umbræ nocentes, cedite et cervicibus  his, his repositum degravet fessas manus  saxum, seni perennis Aeolio labor ;  me ludat amnis ora vicina alluens;  vultur relicto transvolet Tityo ferus  meumque poenae semper accrescat jecur;  et tu mei requiesce Perithoi pater :  haec incitatis membra turbinibus ferat  numquam resistens orbe revoluto rota.  Dehisce tellus, recipe me, dirum chaos,  recipe, haec ad umbras justior nobis via est :  gnatum sequor ; - ne metue, qui manes regis :  casti venimus ; recipe me aeterna domo  non exiturum. Non movent divos preces ;  at si rogarem scelera, quam proni forent !  CH. Theseu, querelis tempus aeternum manet :  nunc justa nato solve et absconde ocuis  dispersa foede membra laniatu efferro.  TH. Huc, huc, reliquias vehite cari corporis  pectusque et artus temere congestos date.  Hippolytus hic est ? crimen agnosco meum :  ego te peremi ; neu nocens tantum semel  solusve fierem, facinus ausurus parens  patrem advocavi. Munere en patrio fruor.  O triste fractis orbitas annis malum !  Complectere artus, quodque de nato est super,  miserande, maesto pectore incumbens foue.  CH. Disjecta, genitor, membra laceri corporis  in ordinem dispone et errantes loco  restitu partes : fortis hic dextrae locus,  hic laeva frenis docta moderandis manus  ponenda : laevi lateris agnosco notas.  Quam magna lacrimis pars adhuc nostris abest !  Durate trepidae lugubri officio manus,  fletusque largos sistite, arentes genae,  dum membra nato genitor adnumerat suo  corpusque fingit.  &lt;TH.&gt; hoc quid est forma carens  et turpe, multo vulnere ambesum undique ?</p>	<p>1215</p> <p>1220</p> <p>1225</p> <p>1230</p> <p>1235</p> <p>1240</p> <p>1245</p> <p>1250</p> <p>1255</p> <p>1260</p> <p>1265</p>
--	---



Quae pars tui sit dubito ; sed pars est tui :  
hic, hic repone, non suo, at vacuo loco.  
Haecne illa facies igne sidereo nitens,  
inimica flectens lumina ? Huc cecidit decor ? 1270  
O dira fata, numinum o saevus favor !  
Sic ad parentem natus ex voto redit ?  
En haec suprema dona genitoris cape,  
saepe efferendus ; interim haec ignes ferant.  
Patefacite acerba caede funestam domum ; 1275  
Mopsopia claris tota lamentis sonet.  
Vos apparate regii flammam rogi ;  
at vos per agros corporis partes vagas  
inquirete. Istam terra defossam premat  
gravisque tellus impio capiti incubet. 1280